

rest, tenore presencium notum facimus quod anno et die infra-scriptis, nobis simul vocatis et in presencia serenissimi principis domini Alfonsi Dei gracia regis Castelle et Legionis apud locum de Toro constitutis, expositis ibidem et intellectis quibusdam certis confederationibus et alliganciis initis noviter et confectis inter ipsum dominum nostrum regem, pro se, heredibus, successoribus, regno, terris, dominiis et subditis suis ex parte una et serenissimum principem dominum Philippum eadem gracia regem Francorum pro se, heredibus, successoribus, regno, terris, dominiis et subditis suis ex altera, dictus dominus noster rex Castelle, volens alligancias et confederaciones predictas tenere, observare et complere de puncto ad punctum, ipsas juravit ad sancta Dei Evangelia corporaliter libro tacto, tenere et observare, prout scripture sunt et contente in quibusdam binis litteris ipsius domini nostri regis, una videlicet suo sigillo plumbeo, alia vero sigillo cere pendenti sigillatis, consimilibus in effectu aliis quibusdam binis litteris dicti domini regis Francorum super eisdem confectis et modo, forma in predictis litteris regiis lacius declaratis. In cujus rei testimonium, nos prenominati episcopus et milites, sigilla nostra duximus litteris presentibus apponenda.

Datum et actum apud locum de Toro, in domo Fratruum (*sic*) Predicatorum, die decima septima mensis julii, anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto et secundum morem Ispanicum, Era millesima trecentesima octogesima quarta.

(Quatre sceaux sur cordelettes de chanvre tressées bleu et blanc).  
Archives Nat., J 602, n° 50.

## 25

*Clément VI engage Pierre I<sup>er</sup> à conserver l'alliance française.*

Avignon, 13 juin 1350.

Carissimo in Christo filio Petro regi Castelle ac Legionis illustri.  
Desideramus, fili carissime, quod sic regio fastigio et culmine illustraris sic principum roboretur amicicia, thronus tuus regnumque tuum in ipsis tuis primordiis fundamentis fortioribus stabilitum votivis, prestante Domino, augeatur continue incrementis. Cum

autem accepimus clare memorie Alfonsus rex Castelle et Legionis, pater tuus, dum viveret et carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris, pro statu et utilitate communi dictorum regum regnorumque suorum, certas ligas et confederationes invicem inivissent, nos considerantes attente quod inter ceteros principes orbis terre idem rex Francie, si tibi quondam specialis unionis et amicie federe jungatur, tibi et eidem regno tuo esse poterit sicut tumet potes advertere fructuosius, serenitatem tuam attente rogamus paternis tibi et sinceris affectibus suadentes, quatinus dicti patris tui vestigia prosequens, eidem regi Francie aut ligarum aut unionum innovandorum hujusmodi aut iniendorum de novo inter te et ipsum aut matrimonii nexu te inire procures. In quo, pro parte tua et ejus regis ac publica utilitate quam in hac parte prosequimur, partes apostolici favoris offerimus et dispensationis gratiam, si necessaria fuerit, liberaliter pollicemur.

Datum ut supra.

Reg. Vat., 144, f° xxix verso.

26

*Clément VI prie Marie d'user de son influence pour que son fils conserve l'alliance française.*

Avignon, 13 juin 1350.

Carissime in Christo filie Marie regine Castelle et Legionis illustri.

Inter ceteros principes orbis terre, ad carissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Castelle ac Legionis, illustrem natum tuum, zelum paterne caritatis habentes, summopere cupimus et desideramus attencius quod sicut ipse regio fastigio preminet sic roboratur principum et potentum (*sic*) amiciecia, thronus ejus regnumque suum in ipsis ejusdem primordiis stabilitum solidioribus fundamentis felicibus, prestante Domino, successibus augeatur. Cum autem, sicut accepimus, carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris et clare memorie Alfonsus rex Castelle et Legionis vir tuus, dum viveret, pro statu et utilitate communi dictorum regum ac regnorum subditorumque suorum, certas confederationes et ligas invicem inivissent, nos considerantes attente quam utilis memorato regi nato tuo esse poterit dicti regis Francie